

in corporibus cælestibus deprehenderint Astronomi. Omnes igitur cælos moueri ab oriente in occidentem experientia quotidiana didicerunt; videntur namque Solem, Lunam, ac reliquas stellas omnes, ex parte orientis paulatim ascendere, ac eleuari supra Horizontem, donec ad Meridianum peruenirent, atque hinc rursus declinare in occidentem, donec iterum in oriente reperirentur. Ex qua consideratione facile ac indubitanter concluderunt motum omnium cælorum ab oriente in occidentem.

QUOD autem motus iste simpliciter fiat ab oriente, hoc est, semper ab oriente recedat, & occidenti appropinquet, multiplici via collegerunt. Primo ex umbra corporum. Ab ortu enim Solis vsque ad meridiem umbra omnes in Horizontem proiectæ decrescunt continue, & a meridie rursus ad occasum Solis vsq; augentur, quod nulla ratione fieri posset, nisi Sol continue laberetur ab ortu in occasum. Secundo ex altitudinibus stellarum, quæ ab ortu ipsarum semper maiores fiunt, donec ad meridianum circulum perueniant, ubi maximas obtinent altitudines; A meridiano vero circulo vsq; ad occasum earundem altitudinum decrementum suscipiunt: Quod quidem manifestum inditium est, eas simpliciter ab oriente discedere, & occidenti appropinquare.

QUA RATIONE COLLECTVS SIT MOTVS
Cælorum ab occasu in ortum.

ETSÌ omnes cæli simpliciter ab ortu in occasum feruntur, vt nuper ostendimus, deprehensum tamen est, eos rursus ab occasu in ortu cieri, non quidem simpliciter, cum simpliciter solum ab ortu in occasum moueantur, vt iam ostensum fuit; sed secundum quid, petendo videlicet signa orientalia, ad sensum superius expositum. Hoc autem prius deprehæderunt in 7. planetis; vt colligitur a Ioanne de Regio monte in Epitome Almagesti Ptolemai lib. 1. concl. 6. hac ratione. Obseruarius Astronomi, Solem & Lunam, & reliquos Planetas, non habere semper eundem inter se situm & distantiam, Sed Lunam V. g. vno die esse coniunctam cum Sole, alio vero ab eo recessisse versus partes orientales; non solum autem hanc diuersitatē in vno planeta respectu alterius inueniunt, verum etiam in omnibus planetis respectu stellarum fixarum; Conspexerunt enim hunc, vel illum planetam, vno die esse cum tali stella
fixa